

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

dus essem. Quare rogo, ut in me amando pergas, vicissim à me officia amici  
 fidi & constantis expectabis. Faxit DEUS, ut ex nostrorum animorum con-  
 sensione fructus aliquis ad Ecclesiam Christi redeat, & nos semina hæc ami-  
 citiæ ad Academiam cœlestem transferamus. Dissipationem Scholæ Heidel-  
 bergensis, non absque sensu acerbissimi doloris cognovi, quæ ipsi imminet, &  
 ut metuo, certa futura est, ex innovatione illa Casimiriana. Nec minus me  
 afficiunt bellici motus, qui ad amœnissimum Rhœni tractum, cum maximo  
 totius Germaniæ discrimine moti sunt. Videtur enim Sathanas duobus  
 agminibus Ecclesiam Christi, subdolè Calvinianis, apertè Pontificiis, oppu-  
 gnare. Utramque pestem DEUS clementer à testis & septis nostrarum Ec-  
 clesiarum Scholarumque depellat, atque Sathanam propediem sub pedibus  
 nostris conculcet. Academiam vestram post turbas Sturmianas, optata quie-  
 te & pace deusdò frui, ex animo lætor: & Filio Hominis ad dexteram Patris  
 sedenti gratias ago, quòd tamen hinc inde aliquos cœtus rectè sentientium &  
 rectè institui cupientium servat. Quis verò nostræ Scholæ status sit, melius M.  
 Joannes Schallesius, qui integrum annum eum inspexit, referre poterit, quam  
 Ego, variis nunc negotiis distractus narrare possim. Bene vale in Christo JESU,  
 Domine, amice & frater honorande. Dabam 13. April. Anno 84. Wittenbergæ.

T. p. frater in DOMINO

Polycarpus Leiser, D.

LXXI

Salutem à Filio DEI: Reverende & clarissime Vir,  
 Comptater honorande.

Doleo toto pectore, statum Academiæ vestræ in dies fieri deteriorem, & DE-  
 DUM oro, ut vestri misereatur. Cumq; nunc remotus sis ab inspectione domus  
 Sapientiæ, non dubito, quin brevi ex Academia quoq; ejiciaris. Vigilandum itaq;  
 nobis est, ut quantum fieri potest, vobis rursus de functionibus prospiciamus. Re-  
 spondit mihi D. D. Selneccerus, se in prox. Synodo Dresdensi velle pro te interce-  
 dere, ut honestum aliquem locum in Electoratu Saxoniz habere possis. Nec du-  
 bito, quin serio causam tuam acturus sit. Quamprimum aliquid certi cognovero,  
 faciam, ut scias. Voitus noster meditatur abitum & aliorum cogitat; Sed quid  
 Elector facturum sit, incertum est. Si successerit, spero, te Jenæ posse invenire  
 locum. Qua in re ego officio meo non defuturus sum. Ut Lipsiam voceris, fieri  
 vix poterit, cum nullus locus ibi vacet. Jenensis conditio non aspernanda est, fal-  
 tem

tem Deo nostrum institutum probaretur, & Electoris Sax. animum inclinaret, ab ipsius enim nictu omnia dependent; orabimus & laborabimus. Si Dominus conatibus meis gratiam aspirare dignabitur, non quiescam, donec aliquid, quod tibi tuisq; prodesse possit, obtineam. Etsi verò penes nostrum Illustriss. gubernatio sive administratio scholæ sola futura non sit, noster tamen Dominus est oppidi Jenensis, & nisi fallor, persolvit Voito Stipendium, ita ut nullum periculum subesse videatur. Summa rei est, si Domino visum fuerit, largietur consiliis nostris felicem eventum, & te nobis adjunget, sin diversum ei placuerit, alibi honestum locum præparabit. His bene in Domino vale. Salutem adscribo conjugi carissimæ & liberis. Raptim Viniatæ, 1. Junii, 1584.

R. D. T.

deditiss.

Timotheus Kirchnerus.

LXXII.

*Sal. in Servatore Christo, Reverende & Clar. D. Doctõr, amico & frater plurimum colende.*

Scriseram nuper per Georgium Meichnerum, civem nostratem, quas tibi non svisse redditas, (ita enim ex literis ad fratrem Doct. Erasmum datis intelligo) valde equidem miror, non tamen vereor mala illum fide aliquid egisse, ubicunque tandem delitescant literæ. Cùm autem proximis tuis mentem tuam atque sententiam satis declaraveris, omnium nunc primum nobis videtur esse, ut vel improbis sollicitationibus, verùm non tuo, sed nostro tantùm nomine institutis, Lorcherum ad nostras partes pertrahamus; cujus rei curam D. Faber & ego in nos suscepimus, & hominem cras DEO volente aggrediemur. Ita autem maturabimus negotium, ut priusquam à proceribus Carinthiacis responsum certum accipias, hinc etiam, quid sperandum sit, possis intelligere. Quantum tamen in me erit, & tua, & Ecclesiæ atq; Scholæ causa enitar, ut nobiscum potius sis, quam tanto rursus à nobis intervallo disjungaris. Benè in DOMINO cum honestissima conjuge, liberis & collegis vale. Argenterato, 13. Junii, 1584.

Tuu in Domino frater.

Joh. Pappus.

Qq 99

LXXIII.